

~~Hist. Pol. III. 4.~~

# STEPHANI REGIS POLONIÆ EPISTOLA:

Historiam susceptæ à se superiori aestate ad-  
uersus Moschum expeditionis, & ex-  
pugnatæ ciuitatis & arcis Po-  
lotzko, recitans.

*Ad ordines Regni Polo-  
niæ scripta*

A N N O

---

M. D. LXXIX.



74.

ARGUMENTVM SEQVENS  
TIS EPISTOLÆ.

**B**arbates Basiliij, magnus Moscho-  
uiae Dux, anno Christi 1563. die  
15. Februarij, Lithuaniae Ducatum  
et urbem Polotsko, flumini Dunæ  
impositam, et 40. milliaribus à Vilna distan-  
tem, occupauerat. Hanc Stephanus Poloniæ  
Rex, superiori æstate, die 30. Augusti, bello  
expugnatam, recuperauit. Eius belli consi-  
lia, et res à se gestas, Stephanus, his lie-  
teris, summatim, ordinibus Regni Po-  
loniæ commemorat: ac ut pro par-  
ta victoria Gratias Deo  
publicè agant, hor-  
tatur.



S T E P H A N V S D E I  
G R A T I A R E X P O L O N I A E,  
magnus dux Lithuaniae, Russiae,  
Prussiae, Masouiae, Princeps  
Transiluaniae.

**V**NIVERSIS & singulis Reuerendiss. Reue-  
rendis, Magnificis, Generosis, Regni no-  
stri consiliarijs, Dignitarijs, officialibus,  
Nobilibus, atque alijs ordinibus omnibus  
sincere & fidelibus nobis dilectis, Grati-  
am nostram Regiam. Reuerendiss.  
Reuerendi, Generosi, sinceri & fideles, nobis dilecti. Quod  
superioribus proximis omnium Reipub. ordinum comitijs  
decreatum fuit, ut bellum, hoc anno, contra Magnum Mo-  
scorum ducem, administraremus: curae nobis, pro Regio  
nostro munere, nostroque in Rempub. studio, esse suimus,  
& contractis exercitibus nostris, comparatoq; aliquo, par-  
tim contributionum pecunijs, partim quod contributionum  
pecunia minimè satisfecerunt, alijs rationibus, belli ap-  
paratu; Extrema Iunij die, Vilna, ad copias nostras re-  
censendas lustrandasque Suirum discessimus. Quo qui-  
dem loco, multa nos diligensque deliberatio tenuit, quor-  
um Nos cum exercitibus nostris in hostem conserremus,  
quaque rectissime, & quam maxima cum utilitate Rei-  
pub. nobis ante omnia bellum agrediendum esset.

Rebus verò omnibus in accuratam considerationem  
vocatis, à iudicio & Senatorum nostrorum, & aliorum  
militarium Virorum, qui nobis aderant, eam tandem in  
sententiam descendimus; ut primam nostrorum armorum

rim, ad Polociam oppugnandam, conferri oportere concluderemus. quod quidem ea Arx ceruicibus magni Ducatus Lithuaniae, atque adeo ipsi ciuitati Vilnensi, nulla alia firmiore munitione interiecta, immineret, ex qua, nobis in alijs remotioribus regni locis occupatis, oblata occasione, summam non modo Lithuaniae diripiendae, sed Vilna etiam adorienda facultatem Hostis habiturus videretur.

Faciendum præterea necessariò nobis visum est, ut, cum bellum hoc, non modò communis Reipub. recuperanda causa, sed hostem quām longissimè remouendi, grauissimeque coercendi, suscepimus: expeditionibus nostris, in his potissimum regionibus, maxima anni parte, aut frigoribus grauissimis, aut imbribus assiduis, militiae infestis, tūm quoque ob vastitatem difficillimis, propinquiorem aliquam sedem, & quasi officinam, quām ipsa Vilna esset, compararemus. Ex qua quidem officina, quām maximè integrum recentemque, penitus in solum hostile, ducere militem, & belli instrumenta, impedimentaq; minore cum negotio ad res cum celeritate felicitatēq; gerendas transferre possemus. Quanta enim cum difficultate ac detimento, Vilna illuc facturi essemus, breui hoc itinere, quo cum exercitu nostri progressi sumus, magna nostra cum molestia, cognouimus. Accessit & illud, quod hac arce, qua maiorem firmoremq; hostis nullam habet, expugnata, & alijs retenendis, hostem eò magis diffidere, & occupandas, militem nostrum sperare, diceremus. Tantum verò abfuit, ut nos eo deterreri oportere videretur, ut hoc potius de principio nobis, recentibus militum nostrorum viribus animisq; quām ijs militie diuturnitate afflictis, tentandum existimauerimus.

Cum

Cum igitur nihil factū potius utiliusque iudicatum  
eſset : Nos factis ab inuocatione opis Diuinæ auſpicijs,  
Suiro primū illuſtrem Nicolaum Radziuil , Palatinum  
Vilnensem, cum aliquibus equitum peditumq; Lithuano-  
rum copijs , & certo Vngarorum numero , Generoso Ca-  
ſparo à Bechs, Polociam præmisimus , itinerum clauden-  
dorum causa , ne quid à Magno Moscorum Duce præſidiū  
accederet. quò etſi maioribus, in magna etiam via difficultate ,  
itineribus perueniſſent : tamen cum iam antea no-  
ſtras ad hostem literas misiſſemus, quibus bellum ei cum di-  
ligenſi explicatione cauſarum denunciauimus: biduo ante,  
antequam noſtræ illæ copiæ Polociam accessiſſent, equitum  
& peditum aliquid ad hostem in arcem immiſſum est. Ad-  
hibita verò à Palatino Vilnensi, poſte aquam propinquo ad  
Arcem loco conſedifſet, ea diligētia eſt, ut poſt nullius sub-  
ſidiū hostilis accessio facta ſit.

Nos cum exercitu noſtro, & tormentis impedi-  
men-  
tisq; bellicis, in ſumma viarum iniuitate, quam pluviia-  
rum aſſidua magnitudo, & horum agrorum natura effecit,  
minoribus itineribus ſubſecuti ſumus. Interea à copijs no-  
ſtris, quæ præceſſerunt, arces tres, Kozian, Crasue &  
Sithno, per excursionem celeriter occupata & incendio de-  
letæ ſunt.

Vndecimo Auguſti die, proximè Polociam, cum co-  
pijs omnibus noſtris venimus, & propinquo ad mœnia lo-  
co caſtra metati ſumus, ciuitatemq; tribus locis obſidione  
cinximus. Eademque die omnibus locis munitiones foſſasq;  
proprius hostem agere iuſſimus. Poſtridie, non mediocri-  
ter foſſis & aggere & propugnaculis & parietibus densiſi-  
mis, tum quoque præſidio firmam, ea maximè de cauſa,

me illo loco, Nos à prolinquiore ad Arcem accessu prohiberet, incendimus, & totam paucis horis delevimus.

Tum longius munitionibus nostris ad ipsas Arcis portas promotis, omni conatu in Arcem expugnandam incubuimus. Ostenderat enim sua præporens Deus in manu rerum gerendarum potestatem esse, & assiduas pluuias pluribus diebus ita immiserat, ut & opera militum maiorem in modum impedirentur, & pugandi ratio etiam atque etiam retardaretur. Constitit tamen militi nostro, in maximis etiam incommodis, singularis animorum, ad omnia contempnenda, tolerandaque, ardor, sic ut in summa pluuiarum iniuitate altissimoq; luto, nihil prætermitterent, que ad oppugnandum pertinere possent. Hostibus, contra omnes nostros conatus, acerrimis animis, & incredibili tormentorum vi, ita dies noctesq; propugnantibus tanta peruicacia, & flamas à nostris illatas extinguentibus, & vim omnem repellentibus, ut se telorum tormentorumque iniurijs certatim offerrent, & succumbentibus alijs, alijs confestim succederent, ostenderentque Moschos, Arcium defendendarum vi atque ardore, ceteris omnibus gentibus antecellere.

Respexit verò tandem nos sua benignitate clementissimus Deus, ut quæ prima nobis paulò serenior dies, vigesimo nono Augusti illuxit, ea incendium à milite nostro Arci illatum sit, summa cum contentione atque discrimine, cum se miles noster in fossas demittere, & Polociam flumen superare, denique arduum cliuum, cui impositum propugnaculum erat, subire, & manibus materiam ignemque, inter infestissima creberrimaq; hostium tela, inferre necesse haberet. Quod incendium cum vehementius exarseret,

sisset, & munitionis aditum aliquem patefecisset, teneri militum nostrum ardor non potuit, quin per ipsam flammatam irrumperet, atque hostem feriret, à quo tamen cępto, cum propugnatione hostili, tūm maximè flammae vi reiectus est, paucō cum nostrorum, neque amplius 27. pluribus tamen vulneratis, hostium ad 200. interitu.

Dederat aliquam Hostis eadem die deditioṇis significacionem, quam non seriam fuisse animaduersum fuit, cum nouissimè munitionibus, flammae altitudine nostris conspectum eripiente, circumdare deinceps cognitum effet. Nulla igitur cum intermissione oppugnationis, vim omnem adhibendam, nullumq; hosti quiescendi, aut firmius muniti endi spacium cōcedendum iudicauimus. Posteroq; die ignem in alias munitionis partes, miles, in quo equites etiam erant, qui misso equo in pedes descenderant, intulit, quo cum iterum aliqua muri pars deleta esset, & cliuum, in quo antea propugnaculum erat igne absumptum, tenuisset, Ac inde ad latus hostilium fossarum, ac munitionum, illa parte deleta, tumultuario opere factarum, fossas munitiores ducento Præsidarios circuire ferè cepisset, atque sic in potestate hostis esset:

Nos & sanguini Christiano parcendum, & operam dandam rati, ut Arce quam maximè integra, cum tormentorum aliorumq; belli instrumentorum apparatu poteremur, que Hostis ipse ad extremum inieclo igne delere posset; facta omnibus vita gratia, permisimus, ut, qui nobis militare vellēt (quorum qui vellent magnus sanè est numerus) fortunas suas omnes incolumes conseruarent, atq; stipendia nostra mererent: quibus redeundi in Moschouiam animus esset, id nobis permittentibus, atq; omnem securitatem  
præstan-

præstantibus, facerent. Palatinus Basilius Micolinzki,  
Macoroszki, Demetrius Michaelowitz, Chersazi Obo-  
limzki, Matthæus Swanoowitz, V Volimzki &c. qui  
partim præsuere, partim in Arce fuere, cum se sponte de-  
dere, ac gratia nostræ permittere vellent, captos in custodijs  
habemus &c. Arcem ipsam præsidio nostro immisso iam  
tenemus. In qua quidem arce, qui eam defendissent atq;  
arma tulissent, ultra sex millia fuisse compertum est.

Nostrum cum ingressi essent, paßim in arce magnum ca-  
dauerum insepulorum numerum repererunt, tum tormentorū  
ac pulueris tormentarij glaborumque tantam vim  
deprehenderunt, quanta in arce aliqua Christiani orbis his  
rebus instruclissima posset reperiri. Quos quidem rei ge-  
sta successus, ut in primis ad Deum præpotentem referimus:  
ita illi summa animi pietate agimus gratias. Ac sinceri-  
tates & fidelitates vestras hortamur, ut easdem pro bene  
gesta Repub. agant, simul & comprecentur ut quæ gerenda  
supersunt, quæq; in hostem nunc deinceps suscipiemus, iti-  
dem clementissime fortunare dignetur. Quod illum pro  
sua benignitate & cause, quæ novis arma induit, bonitate,  
facilium confidamus. Nos quidem pro communi Repub.  
gerenda omne nostrum studium curam, laborem, operam,  
sanguinem, adeoq; vitam nostram cupidè prompteq; semper  
offeremus. Datum ex arce nostra Polociensi, Die  
ultima mensis Augusti, Anno 1579. Re-  
gni verò nostri anno quarto.

Stephanus  
manu ppria.

